





1596,9

19



DISPUTATIONVM PHYSIO-
LOGICARVM QVARTA.

DE PARTIBVS HV-
MANI CORPORIS DISSI-
MILARIBVS SIVE ORGA-
nicis, earumque differen-
tjis.

Quam
D. F. E. A. G.

Sub præsidio

VIRI CLARISSIMI DN. COR-
NELII BOKELII, PHILOSO-
phiæ & Medicinæ Doctoris, in florentissi-
mâ VLIA, defendere conabitur idi-
bus Nouembris horâ & lo-
co consueto

HENRICVS VVARENIVS Rostochiensis
Medicine studiosus.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, An. 1596.



1780 M.
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790

aus Varenus
Katholikus.



DE PARTIBVS HVMANI CORPO-
ris dissimilaribus seu organicis.

CONTINVATIO.

Corpus vniuersum hominis triplicem compositio-
nem admittere, primam partium eius similarium ex
elementis, secundam organicarum ex similaribus,
tertiam totius ex dissimilaribus, ex Galeno & Hippo-
crate manifestum est. De Elementorum & simila-
rium natura & compositione, cum prioribus disputa-
tionibus egerimus, restat vt de dissimilaribus aga-
mus.

Thesis I.



Artes igitur dissimilares dicuntur, quarum non est
per omnia eadem natura, & substantia, sed sunt ex
diuersi generis partibus, seu ex pluribus, non tamen
eiusdem naturæ, simplicibus siue similaribus com-
positæ, in quas tandem, tanquam in oculis & sensi-
bus subiecta elementa quædam resoluuntur: cuius-
modi sunt caput, oculi, cor, manus, pes, &c.

II.

Græcis ἀνομοιομερῆ, id est dissimilares, ἑτερογενῆ, id est diuersi ge-
neris partes, item μέρη συνθετά, id est membra composita, ὀργανικὰ
id est instrumentaria, δευτέρα id est secunda nominantur. Similares
enim dissimilarium tam actionis, quàm compositionis respectu cau-
sæ & instrumentum existunt.

III.

Organon seu instrumentum pars corporis dicitur, quæ per se &
absolutè perfectam edere actionem potest, siue simplex ea sit, siue

A 2

compo-

composita : sic oculus instrumentum dicitur, quia actionem perfectam edit, visionem scilicet. item arteria, quia spiritum vitalem vehit.

IV.

Pars vero instrumentaria seu organica ea tantum dicitur, quæ composita existit, & mediante altero operationes suas perficit

V.

Hinc tum similis, tum dissimilis pars organica dici potest, quatenus certa figura ad certas actiones expediendas prædita est.

VI.

Magis tamen propriè similis pars ὁργανον : dissimilis μόριον ὁργανικόν appellatur. Illa enim appellatio utriusque : hæc vero soli parti dissimilari propria est.

VII.

Vnde etiam similis pars instrumentum primum ; dissimilis à primo ortum nominatur.

VIII.

Differentiæ harum partium seu instrumentorum sunt, vel externæ, vel internæ.

IX.

Externæ vel ab ipsarum substantiâ, situ, figurâ, quantitate, compositione, alijsue accidentibus desumuntur.

X.

A substantia desumptæ sunt : aliæ sunt densæ, ut Epar : aliæ raræ ut pulmo, aliæ duræ, aliæ molles, &c.

XI.

A situ partium differentiæ desumptæ sunt: quod aliæ intra corpus, aliæ extra consistant ; aliæ in antica eius parte, ut nasus oculi : aliæ in postica, ut spina dorsi, &c. aliæ iterum in summâ eius parte, ut cerebrum ; aliæ in media, ut cor, pulmo : aliæ in imâ, ut Epar & ventriculus, &c. sitæ sint.

XII.

A figurâ desumptæ sunt : aliæ sunt rotundæ, ut cerebrum : aliæ pyramidales, ut cor : aliæ oblongæ, ut Venæ, brachia, crura : aliæ breves, ut articuli : aliæ latæ, ut manus vola : aliæ dissectæ, aliæ alterius figuræ, &c.

Aquan-

XIII.

A quantitate differentiæ desumptæ : aliæ sunt maiores, vt venter, thorax : aliæ minores, vt oculus, digitus.

XIV.

A compositione desumptæ : aliæ ex vulgatis similaribus ita compositæ sunt, vt resolutæ particula quædam, à qua nomen adeptæ sunt, restet : eiusmodi sunt, Cerebrum, cor, epar, testes, &c. aliæ vero ita constant, vt resolutæ in suas similes, nihil remaneat ; cuiusmodi sunt manus, pes, oculus, &c.

XV.

Internæ differentiæ à proprio ipsarum usu & actionibus desumuntur : quæ vel primariæ sunt, vel minus primariæ, vnde partes ipsæ vel principes, vel minus principes dicuntur.

XVI.

Partes principes sunt, quæ ad vniuersi gubernationem & sustentationem quam maximè necessariæ sunt, ita vt sine his animal vita frui non possit, in quibusque, tanquam præcipuis sedibus, virtus aliqua præcipua dominatur ac viget.

XVII.

Eiusmodi quatuor inueniuntur, sedibus suis distinctæ; Cerebrum, Cor, Epar & Testes.

XVIII.

Cerebrum præcipuum & accommodatissimum animæ instrumentum, quo ad altissimarum rerum meditationem & speculationem utitur, magnitudine, conformatione & temperamento longè à brutorum temperamento distans.

XIX.

Ideoque præ reliquis corporis partibus contra externas iniurias non solum firmissimis tegumentis, vt sectio eius anatomica docet, munitum est, sed etiam omnia sensuum organa sibi præsto & coniuncta, tanquam exploratores & satellites habet.

XX.

Cor proximum à cerebro dignitate, animæ instrumentum, quo ipsa, tanquam fonte & receptaculo spiritus & facultatis vitalis, vniuerso corpori communicandæ utitur.

A 3

Medium

XXI.

Medium in thorace locum obtinet, non minus quam cerebrum certis suis tegumentis munitum, adfectuum & irascibilis animæ facultatis sedes.

XXII.

Epar proximum ab hoc, facultatis naturalis instrumentum, superiorem infimi ventris locum sibi vendicat, ventriculo super incumbens, fons & officina sanguinis, nutritioni totius corporis per facultates sibi insitas inseruit.

XXIII.

Quartum inter principes locum, partes generationi dicatæ, testes obtinent, sic quasi virilitatis testes dicti, viris extra corpus propendent, fœminis ad uteri latera intra corpus reconditi latitant, fœminis fontes & officina, præcipuumque facultatis generatricis instrumentum.

XXIV.

Priores tres ad ipsius individui conseruationem necessariæ sunt, ita vt ne momentum quidem siue aliqua harum ipsi viuere concedatur. Vltimæ vero partes, testes scilicet, ob robur quidem & virilitatem corpori maximè vtilis, minus tamen ad vitam necessariæ, speciei conseruationi incumbunt.

XXV.

Minus principes dicuntur, quæ ad vniuersi gubernationem & vitam minus necessariæ sunt, in quibusque vt præcipuis sedibus eiusmodi virtus non infidet.

XXVI.

Minus principes, vel à principibus natæ sunt, earumque ministerio dicatæ, vel non sunt eiusmodi.

XXVII.

A principibus ortæ, ijs inseruiunt vel importando aliquid, vel aliquid ab eis exportando. Cuiusmodi sunt nerui, arteriæ, venæ, & vasa spermatica.

Nerui

XXVIII.

Nerui enim à cerebro orti, ipsi inseruiunt, sensum & motum ab eo in vniuersum corpus deferendo: sic arteriæ cordi, spiritum & sanguinem vitalem ab ipso venæ Epatis, sanguinem alimentarium ab ipso in corpus distribuendo: vasa seminaria alia præparando, alia importando, alia exporrando semen testiculis inseruiunt.

XXIX.

Neque vero vno eodemque modo hæ partes à suis principibus ortæ dicuntur; Aliæ enim ex ipsarum substantia ortum trahunt, vt nerui & spinalis medulla, & principium ex quo, eas agnoscunt: alij vero saltem coniunctæ & connatæ quasi ipsis sunt, vt venæ ab Epate, Arteriæ à corde, vt principio solum à quo dependent.

XXX.

Nerui enim triplici substantia constant, duabus scilicet tunicis, prima quam è tenui membrana cerebri, altera quam ex durâ & crassiori habent, & media quadam arborum medullæ simillima.

XXXI.

Arteriæ & venæ itidem duabus tunicis constant, quas non ab ipsa cordis aut Epatis, vnde ortæ dicuntur, substantiâ, sed ab ipso semine in primâ conformatione adeptæ sunt.

XXXII.

Partes non natæ à principibus, iisque non inseruientes, à seipsis gubernantur, suntque duplices.

XXXIII.

Aut enim partium aliarum ministerio ad sui consistentiam parum, aut nihil opus habent, aut eodem sunt maximè indigentes.

XXXIV.

Primi generis sunt os, cartilago, ligamentum, &c. quæ insitas sibi vires habent proprias, nec alijs communicantes, nec ab eis mutantes.

XXXV.

Alterius generis sunt ventriculus, lien, pulmo, & reliquæ partes, quæ et si proprijs suis viribus & facultatibus præditæ sunt, alieno tamen auxilio, nempe venis, arterijs, & neruis maximè indigent, vnde sensum, motum & vitam habent.

Atque

XXXVI.

Atque hæc in genere de partibus organicis, earumque differentijs dicta sint : specialiora qui cupit, anatomicorum scripta adeat.

COROLLARIA.

I.

A*N* venis tribuenda sit hæmatosis?

II.

An semen in testibus, an verò in vasis spermaticis generetur?

F I N I S.



ULB Halle
003 338 150


3




TA-OL

VD 77








1596,9

19



DISPUTATIONVM PHYSIO-
LOGICARVM QVARTA.

DE PARTIBVS HV-
MANI CORPORIS DISSI-
MILARIBVS SIVE ORGA-
nicis, earumque differen-
tjis.

Quam
D. F. E. A. G.

Sub præsidio

VIRI CLARISSIMI DN. COR-
NELII BOKELII, PHILOSO-
phiæ & Medicinæ Doctoris, in florentissi-
mâ VLIA, defendere conabitur idi-
bus Nouembris horâ & lo-
co consueto

HENRICVS VVARENIVS Rostochiensis
Medicine studiosus.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, An. 1596.